

D. D.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
ORIGINE OBLIGATIONIS,

---

QUAM  
*ANNUENT. AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.*

PRÆSIDE  
*Mag. JOH. BILMARK,*

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT  
*LAURENTIUS WADELL,*

SMOLANDUS.

IN AUDIT. MAJ. die II. NOV. AN: R. S. MDCCXCI.

*Horis A. M. Solitis.*

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS,

KONUNGENS  
TRO-TJENARE och MAJOR  
VID  
KONGL. LIF - DRAGONE REGEMENTET,  
*HÖGVÄLBORNE FRIHERRE,*  
*Herr REINHOLDT JOH. REHBINDER,*  
NÄDIGE HERRE,

*D*a jag i denna korta afhandling företagit mig, at visa grunden til våra förbindelser, så hafva tillika mig förekommitt så väl de otaliga välgärningar, bvarmed Högvälborne Herr BARON och MAJOREN, ifrån första studen jag var lycklig nog, at få intråda i dess Hus, mig ådelmodigt öfverbopat, såsom min båremot svarande dryga förbindelse, bvilken ej förr, än med självva lifvet skall upphöra. -- Till ett ringa vedermåle af min vördnadsfulla erkänsla, tåktes Högvälborne Herr BARON och MAJOREN uptaga dessa blad, som jag i djup ödmjukhet vågar Högvälborne Herr BARON och MAJOREN tilägna, samt framdeles förunna mig lika ynnest, som den är, bvilken jag bittils åtnjutit; bwaremot mitt ständiga bemödande skall vara, at lämna Högvälborne Herr BARON och MAJOREN vedermålen af den djupa vördnad, bvarmed jag framhärdar, at vara

HÖGVÄLBORNE HERR BARONS OCH MAJORENS;

*Allerödmjukaste Tjenare  
LARS WADELL.*



## PRAEFATIO.

**I**nter argumenta maximi momenti, quæ in Philosophia Præctica occurrunt, illud, quod de Obligatione agit, latissime omnino patet, quippe quod in singulas scientiæ illius partes influit, & imperii quasi sigillum actionibus imprimit moralibus. Fateendum tamen est, cum quod veteres Philosophi, quotquot disciplinæ Morali excolendæ studium & operam impenderunt, de obligatione obiter tantum differuerint, tum quod recentiores, quamvis scientias practicas & amplificaverint, & ad majorem certitudinis gradum, quam in quo easdem invenerant, perduxerint, circa originem obligationis in varia abierint sententiarum divortia. Argumentum igitur hoc non ita explicatum nobis obvenit, ut eidem illustrandæ non aliqua addi posset symbola; quam proinde, præmissis non nullis, præsenti disquisitioni aliquam forte fœneraturis lucem, æquo Benevoli Lectoris judicio hisce pagellis, qua par est modestia, subjiciemus.

### §. I.

Divinæ in res a se creatas bonitatis cum multa ubique occurrunt documenta, tum eadem & plurima & luceulentissima in se experiuntur homines. Concessit enim nobis corpus egregie organicum, cuius membra ad animæ nutum se latim movent; animæ quoque præstantissimas

\* \* 2 \*

simas indidit facultates intellectus, quo res sibi distincte repræsentat, ac de earum indole & ad se relatione recte judicat, nec non voluntatem, qua bonum cognitum appetit & malum aversatur. Quocirca docet experientia, cum quod rerum oblatarum ab intellectu perceptiones sint mutationibus, quas res istæ in organis nostris sensoriis producant, conformes, item quod intellectui in eisdem repræsentandis ac dijudicandis nihil arbitrii sit relatum, tum quod voluntas hominem ad agendum vel non agendum sollicitet pro ratione representationum boni vel mali cum actione suscipienda conjuncti; quales representationes uno nomine *Motiva* dicere soleamus. Circa quamlibet vero actionem suscipiendam quum plura non raro occurrant motiva, vel ab aliis entibus vel a nobis ipsis & statu nostro petita, perque nostram non impediatur naturam, quin in motivorum copia, tamquam normam sequamur ea, quæ nobis potissimum convenient; evidens est, voluntati nostræ inesse libertatem, seu facultatem ex pluribus propositis id sponte eligendi, quod nobis maxime placeat, cum ad nullum eorum per nostram determinemur essentiam. Hinc tamen non sequitur, facultatem hanc esse adeo laxam aut vagam, ut sine motivis, aut contra hæc, aut nulla præstantia quorundam præ cæteris habita ratione, recte agere possit homo; quum voluntas, modo non sit ægra, normam habeat motiva, non quæcunque, sed quæ ex pluribus propositis intellectus noster judicaverit præstantissima. Nec sic tamen ulla libertati vis infertur, quum Deus ipse, licet sit Ens liberrimum, nihil vel agat, vel per suam agere possit essentiam, quam quod cæteris suis perfectioribus sit harmonicum.

## §. II.

Quamvis autem libertas voluntati nostræ merito adferatur, utpote sine qua in meram homo mutaretur machinam; subest tamen hæc libertas necessitatí non physice, cui inanimata quoque corpora, vi sibi impressæ majori cedentia, parent, sed Morali, in eo consistenti, ut bonum, quod judicamus præstantissimum, eligamus, ei-que obtinendo adminicula adhibeamus aptissima; quodvis autem malum studiose declinemus. Si porro in fontem motivorum inquiramus, deprehendimus, hunc esse felicitatis nostræ studium; quo etiam intuitu necessitati morali nihil ingrat, quale in physica experimur coactio-ne, inesse animadvertisimus. Ecquid enim est, ad quod homines, dum sapiunt, majori nisu ac lubentius ducuntur, quam ad sinceræ felicitatis fruitionem? Et quamvis non solum per instinctum naturalem, singulis animanti-bus communem, sed maxime per motiva, hominibus propria, ad boni possessionem contendamus, neutro tam-en modo in necessitatem quandam physicam, vi exter-ne analogam, conjicimur; docet enim experientia, quod, salvis motivis, eisdemque ad agendum sufficientibus, a placito tamen interdum abstineamus bono, & appetitum mutemus, si alia ex ratione utilius nobis videatur, actionem quandam hoc tempore omittere, quam fulcire. Intrat quis media die, æstu, fame ac pulvere ferme exhaustus, hortum umbrosis ac fructiferis luxuriantem arboribus, potest, invitante possidente, oblatis frui bonis; a quibus vero abstinet, si suæ convenientius judicet saluti, his in præsenti supersedere commodis. Quamvis igitur per naturam, qualiter Optimus Deus nobis concessit, non possumus non motiva sequi, & in genere appetere bonum ac malum averlari; libertas tamen volun-

tatis nostræ se plenissime exserit circa bonum vel malum in specie. Et licet primos motus, quibus anima nostra ex objectis adficitur, impedire, in nostra non sit potestate, nulla tamen nobis incumbit necessitas, hos sequendi motus, &c., ad quod sollicitant, agendi; nisi hoc e re nostra esse judicemus.

§. III.

Necessitatem Moralem aliquid agendi vel non agendi, motivis nixam, quam §. antecedente descripsimus, *Obligationem* vocamus; quam, dum WOLFUS per *connexiōnem motivorum cum actione* definit, satis patet, utramque hanc obligationis definitionem verbis, non sensu, differre; siquidem absque præviis motivis nulla detur necessitas moralis. Quum porro *Origo* in genere sit id, unde aliquid suam ducit existentiam, seu ex quo, tamquam principio, deducitur, obligationis origo involvit causam, quare homo, salva manente voluntatis libertate, in suis tamen actionibus ita adstringitur, ut e re sua esse deprehendat, has ad certum tenorem instituere, nec non agnoscat, se recte vel secus egisse, prout hunc vel observaverit, vel plane neglexerit. Nec minus in confessio esse arbitramur, proximam obligationis causam esse motiva, remotam esse intensem felicitatis studium, unicuique homini per naturam inditum, ceu ex infra dicendis plenius constabit, ultimam vero esse DEUM O. M., qui ex infinita sua bonitate indolem nobis concessit felicitatis studiosissimam, & idonea motiva cum qualibet actione morali quasi copulavit; prævidens, vagam ac detuloriam vivendi licentiam fini a se intento haud convenire, nostramque proinde voluntatem judicio rationis esse conformandam. Addimus, quod obligationis gene-

ratim a nobis Spectatae varias Philosophi constituant Species, eam dividentes partim in *Internam*, cuius motiva ex natura nostra vel consuetis actionum confessariis sumuntur, & *Externam*, cuius motiva ex voluntate superioris, seu ex præmiis & poenis civilibus petuntur; illam *Naturalem*, hanc *Civilem* quoque appellantes; partim in *Perfectam* qua quis ad quasdam actiones vel suscipiendas vel omitendas stricte adeo tenetur, ut externis ad easdem cogi possit mediis, & *Imperfectam*, qua agenti externe manet integrum, an agere vel non agere velit, nec alii quam Deo & suæ conscientiae rationem suæ actionis reddere teneatur. Has attulimus observationes, quod Philosophi quidam originem obligationis exposituri, hanc non generatim, ut par fuit, sed reapse speciatim consideravent; quare nemo mirabitur, quod a nobis in præsenti dissentiant argumento.

#### §. IV.

Indicavimus modo, obligationis generatim spectatae originem, proxime post DEUM O. M., ex studio felicitatis, singulis hominibus congenito, esse repetendam; quæ nostra ut confirmetur sententia, prævia observamus experientia, quod quamvis libertatem voluntatis nostræ maximi faciamus, tantum tamen ea non valeat, ut, collisione inter libertatis exercitium & boni cujusdam præstantis fruitionem forte existente, homo illud, ut hujus fiat compos, non restringendum esse censeat. Unde dilucide apparet, intensissimum felicitatis studium, nobis congenitum, esse fontem, ex quo actionum nostrarum motiva sumamus, nobisque per hoc necessitatem injungi moralem, ut hoc potius modo, quam alio, nunc & non alio tempore, utroque licet æque possibili, quid agamus.

adeoque obligationis originem ex connato isto arcessendam esse desiderio. Quamvis enim, pluribus objectis propositis, plena respectu uniuscujusque gaudieamus optione, attamen vel agimus, vel non agimus, prout illud vel hoc, expensis motivorum momentis, nostræ convenientissimum judicemus felicitati. Eandem nobiscum sententiam de obligationis origine fovit illustr. BURLAMAQUI, ex definitione obligationis, quam tradit, colligimus: *On peut donc définir l'obligation en général & dans sa première origine, une restriction de la liberté naturelle, produite par la Raison, en tant, que les conseils que la Raison nous donne, sont autant de motifs, qui déterminent l'homme à une certaine manière d'agir préférablement à toute autre* (a). Abstrahamus enim ab intensissimo hoc felicitatis studio, nec ulla tuberit caussa, quare unum objectum præ altero eligeremus, sed in singulis negotiis continua fluctuaremus indifferentia; parum curaturi, an res, quæ actionis nostræ est objectum, in nostram vel felicitatem vel infelicitatem vergat. Quod pridem agnovit, quem modo citavimus, Dn. BURLAMAQUI, ita scribens: *Faire abstraction de tout intérêt par rapport à l'homme, c'est donc lui ôter tout motif d'agir; c'est le réduire à un état d'inaction & d'indifférence. D'ailleurs quelle idée pourroit on se faire de la convenance ou de la disconvenance des actions humaines, de leur beauté ou de leur turpitude, de leur proportion ou de leur désordre, si l'on ne rapportoit pas tout cela à l'homme lui même, & à ce que demandent sa destination, sa perfection, le bienêtre de sa nature, & pour tout dire en un mot, à sa véritable félicité* (b). Prima enim naturæ jussio & vis obligatoria in instinctu, cuius animali innato, & ad singula rerum momenta se exercerente animadvertisit; nobis namque ipsis sine ullo motivo externo bene cupimus, ea studiose agentes, qua-

nobis profutura judicamus; contra ea autem nobis noctura sedatio evitamus; quam animæ nostræ dispositionem exuere non volumus magis, quam valemus.

(a) Vid. *Ejusd. Principes du Droit naturel* p. 56.

(b) Vid. *Libr. cit.* p. 57.

### §. V.

Futuros præsumimus hanc paucos, qui existimant, admissa a nobis iam commemorata obligationis origine, varia inde deduci posse porismata, veritati nequaquam consentanea. Quum enim in confessio sit, quod Deo O. M. rerum omnium Creatori ac Conservatori, imprimis sumus obligati, nos autem docuerimus, obligationis originem ex studio nostræ felicitatis esse repetendam, ergo Deum non propter se, nec propter bonitatem suam absolutam, sed propter relativam seu *Qιλαϊθεωπικην* colorem; nec actionum nostrarum finis foret gloriae Divine manifestatio, sed nostra felicitas; quas conclusiones adverarii censemus esse plane absurdas. Enimvero si vel maxime demus dissentientibus, quas nobis objiciunt, instantias, nihil tamen nos ita adseruisse putamus, quod cum principiis vel rationis, vel Revelationis adversa pugnet fronte. Quisquis enim summam Dei cogitaverit Majestatem, non potest non eandem cernius venerari; sed si idem fingeret, Supremum Numen omnia & singula propter se & in gloriae suæ manifestationem, nihil autem in hominum felicitatem condidisse, nullis motivorum vinculis suam adstringi sentire voluntatem, nec se proinde obligatum agnosceret, qui cultum Supremo huic præstare.

de.

deberet Domino. Contra ea dum tam ratione, quam revelatione convincimur, Deum, Ens ut perfectissimum, ita sibi sufficientissimum, nostrique adeo cultus non indignum, summas suas perfectiones cum in aliarum creaturarum, tum in hominum præcipue felicitatem explicare, attributorum Divinorum consideratio nobis fortissima suggerit motiva, nostram voluntatem Divino submitendi beneplacito; adeoque quam intensem est felicitatis nostræ studium, quod intensissimum esse quisque in se experitur, tam absoluta simulque tenera est nostra erga tantum Benefactorem obligatio. Quamvis præterea nemo forte sit, qui non agnoscat, officia nostra erga Deum ex amoris fonte esse deducenda; multi tamen damnant amorem Dei ex motivo nostræ felicitatis derivatum, ut impurum & plane mercenarium. Sed forte non errat mens, calculos ita subducens: quum connato eodemque ingenti feramur felicitatis desiderio, huic autem per nos iplos satisfacere non valeamus; ergo æquissimum est, ut Deum, omnis boni auctorem & munificentissimum in suos cultores Dominum, intimæ venerationis cultu prosequamur; probe scientes, quod beneficia quævis non ex obligatione quadam, sed ex mera φιλανθρωπίᾳ nobis quotidie præstet. Cui ratiocinio ex faciis pandectis multum etiam roboris accedit, ex quibus discimus, quod Deus homines non per modum dominii eminentis, sed per viam beneficiorum tam perceptorum, quam speratorum, ad sui cultum quasi manuducat. Nec hoc reticendum erit loco, quod Deus in Legi naturali se nobis manifestaverit tum ut Summum Monarcham, tum ut Patrem benignissimum; singula enim tam præcepta, quam interdicta ejus sunt indolis, ut in utrisque eluceat præcipua, quam hic Legislator gerit, felicitatis nostræ cura. Ex quibus colligimus, cultum Dei ex motivo

❀ ) 9 ( ❀

tivo bonitatis Divinæ relativæ procedentem, non esse vel  
iniquum vel Deo ingratum, i<sup>m</sup>o originem obligationis  
in studio felicitatis nostræ ex Divina etiam intentione es-  
se quærendam. Hinc tamen non erit concludendum, ob-  
ligationem nostram erga Deum subordinari obligationi  
erga nosmet ipsos, cum tenerrimum illud felicitatis stu-  
dium, cuius mentionem s<sup>p</sup>ecies fecimus, non nobis i-  
pis, sed optimo rerum omnium Conditori acceptum re-  
feramus. Imo quum quælibet obligatio pro ratione ac  
numero motivorum valeat, motiva autem, quibus D<sup>r</sup>e  
obligamur, cæteris omnibus, quæ cogitari possunt, præ-  
valeant, ei enim vitam & quævis debemus bona; ergo  
Eum etiam per naturale felicitatis studium super omnia  
colemus; veræ igitur nostræ felicitati studentes Gloriam  
D<sup>r</sup>ei, illi innexam, juxta celebramus. Ad officia denique  
aliis hominibus præstanta maxime ducimur ex motivis  
vel utilitatis vel innoxiae voluptatis, in nos ipsos inde red-  
undaturæ; ut adeo harum obligationum origo in studio  
felicitatis vel obtinenda, vel ex voto perennaturæ sit  
quærenda.

## §. VI.

His præstructis, dispiciamus porro, quo illi nituntur  
fundamento, qui originem obligationis a l<sup>e</sup>ge esse repe-  
tendam autumant; quæ etiam veterum Juris Romani Do-  
ctorum, obligationem definitum per vinculum juris,  
quo necessitate adstringimus alicujus rei præstandæ, huius-  
se videtur opinio. Hinc etiam πολυθελλαστο<sup>r</sup> illud inva-  
luit posito jure, ponitur odligatio. Quamvis autem deniq;  
tur obligationes, quæ vim suam a Lege habent, genera-  
tivm tam<sup>e</sup> verum non est, legem pro adæquato cuiusvis  
obligationis principio esse habendam, quum in confessio-

¶ 10 ¶

ur, obligationem dari lege anteriorem, nec quemquam  
aliis ferre posse leges, nisi qui alios amea habeat obstruc-  
tos, qui morem suis gerere debeant praeceptis. Paucis:  
concedimus, obligationem perfectam a lege suam vim  
habere, quam vero obligatio generatim spectata, & ex  
sel citatis studio orta, antevertit.

### §. VII.

Opinioni de obligationis origine, a nobis jam ex-  
aminatae, adfinis est eorum persuasio, qui opinantur, ob-  
ligationis originem a Superiore esse repetendam, qui pro-  
inde definiunt obligationem per necessitatem moralem  
aliquid agendi vel non agendi, a Superiore profectam;  
quam sententiam & Illust. PUFENDORIUM & alios Philo-  
sophos bene multos fovisse constat. Ita enim ille scri-  
bit: *Introducitur Obligatio in animam hominis proprie a Superiore, id est tali, cui non solum vires sunt, malum ali- quod repræsentandi contrarientibus; sed & cui justæ sunt causæ, quare postulare querit, ex suo arbitrio voluntatis no- stræ libertatem circumscribi* (a). Enimvero nec hos Phi-  
losophos rem acu retigile existimamus. Oppido enim  
patet, per virium superioritatem & harum in agentem  
applicationem introduci necessitatem physicam, non au-  
tem Moralem, per motiva in obligatione conspicuam;  
per illara quoque sufflaminari facultatum animæ nostræ  
usum, quem hæc supponit integrum. Quantam enim  
cunque fingamus Despotæ potentiam, si aliam nullam  
præter hujus ad se & statum suum subditi experiantur re-  
lationem, singulis quidem ejus mandatis, ceu totidem  
percelluntur fulminibus, quibus parent, ut interitum sibi  
imminentem declinent; adeoque coactio hæc physica  
aliquid ex morali necessitate trahit. Id quod Pufendor-  
fius.

\*) ii (\*)

fius etjani agnovit, recte observans: diversa esse, cogere  
et obligare, illud fatis viribus naturalibus effici, hoc vero  
nequoniam. Quare addit: obligationem presupponere tales  
causas, que intrinsece hominis conscientiam ita adficiunt,  
ut ex propriæ rationis dictamine judicet, non recte, adeo  
que nec justè se se resistere (b). Quibus positis, rem tamen  
non conficit nominatus Auctor, causas illas obligationis  
morales explicaturus, ex triplici easdem deducere fata  
gens fonte, prout quis in alterum vel insignia contulit  
beneficia, vel prudentiam huic bene faciendi fecit testa  
tam, vel denique illi ita est subjectus, ut ejus in se di  
rectionem non possit non agnoscere. Ponamus enim al  
latagum causatum duas priores producendæ obligationi  
esse sufficentes, quod haud obscure innuit Pufendorfius;  
evidens est, quod notio Superioris ideam obligationis  
necessario non ingrediatur, quum nihil impediat, quo  
minus & benefactor & bonus consiliarius possint esse no  
bis æquales, interdum ejam inferiores; liberalitas enim  
& prudentia non sunt necessaria eminentiorum munerum  
axiomata. Præterea si obligationis, generatim spectatae,  
origo esset a Superiori repetenda, sequeretur, nihil per  
se vel justum vel injustum esse, sed tale censi, prout  
Superior quid vel præcepit vel prohibuerit: adeoque  
moralitatem actionum nostrorum esse mere subjectivam  
& arbitriam; quas qui admitunt conclusiones, in na  
turam hominis rationalem videntur injurii, facultate eum  
privantes, de moralitate actionum suarum ex principiis  
rationis quid statuendi. Bene igitur ac perspectæ rei na  
turæ convenienter Illustr. BURLAMAQUI: Favoue, que sui  
vant le langage des Juris-Consultes l'idée d'un Supérieur,  
qui commande, intervient pour établir l'obligation, telle  
qu'on la considère ordinairement. Mais si l'on ne remonte  
pas plus haut, en fondant l'autorité même de ce Supérieur

\*) 12 (\*)

sur l'approbation, que la Raison lui donne, elle ne produira jamais qu'une contrainte extérieure, bien différente de l'obligation, qui par elle-même a la force de pénétrer la volonté & de la flechir par un sentiment intérieur, en sorte, que l'homme est porté à obéir de son propre mouvement, de son bon gré, & sans aucune violence (c).

---

(a) Vid. PUFENDORF Libr. I. de Jure Natur. & Gent.  
Cap. VI. §. 9.

(b) Vid. Loc. modo cit. §. 10.

(c) Vid. Ejusd. Libr. supra cit. p. m. 59.

### §. VIII.

Ut istum, quem sibi imminere animadvertisunt dissentientes, declinent, ex alio capite tuam de origine obligationis, ex supiore repetenda, communire nituntur opinionem. Ne autem quidquam ex eorum mente alienum eis adfinxisse videamus, audiamus in hoc argu-  
mento KREBSUM, quem suos etiam nactum fuisse ad-  
elas, novimus, ita disserentem: *Non equidem inficiamur, bominem etiam tam, quando naturam objecti satis cognovit, ad id, quod sibi conveniens est, prosequendum, & ad disconveniens fugiendum, firmissimis rationibus constrictum teneri, & sic quandam obligationis rationem in se deprehendere, neque falli eos, qui obligationem ex natura rez statuunt; cogitari tamen & illud debet, quod nemo sibi ipsi magis, quam aequalis aequali, valide & satis efficaciter imperare, precipe aut interdicere possit. Licet ergo ratio cuique suadeat, immo demonstret evidentissime, quid fieri, quidve omitti debeat;*

\* \* 13 \*

beat; negari tamen non potest, cum deum præcipuam fortioram quandam obligationem oriri, ubi Superioris accedit auctoritas (a). Hoc autem argumentandi modo committitur ignoratio elenchi, ceu loquuntur Logici; de eo enim jam non disquiritur, quænam obligatio sit fortior, an ea, quæ motivis, ex sola objecti natura petitis, nimitur, vel ea, quæ insuper Superioris auctoritate est munita; quum extra omnem dubitationis aleam sit positum, obligationis vim pro numero ac pondere motivorum, eam producentium, intendi; sed cardo questionis, quæ in contentionem venire debet, in eo vertitur, an nulla sine Superiore existere queat obligatio, sed omnis ab eo sit repetenda? Hujus contrarium quum nos §. antecedente demonstraverimus, nec a nobis prorlus dissentiat citatus Auctor, ex utroque hoc capite nostra confirmatur sententia. Adhac quum natura sit prior civitate, obligatio quoque naturalis seu generativi spectata anteveritatem, quam Superior introducit. Denique cum Scriptoribus, contra quos pugnamus, non sunt confundendi artus plane diversi, obligatio & imperium, quum nemo, nisi qui pactorum indolem forte ignoret, negabit, quod pares quidem se valide obligare, non vero sibi dominasti queant.

---

(a) Vid. *Ejusd. Morum & Iuris Scient. Universal. Cap. VI. p. 171.*

### §. IX.

Inquirendum etiam erit, an eorum sibi constet sententia, qui obligationem *ex statu vel conditione personæ*, quæ obligatur, arcessendam putant; ita ut creatura, dummodo libero instructa sit arbitrio, Creatori, filius patri, sub-

dictus Domino in genere, ex statu sui conditionis, obligatus sit, citra habitum respectum ad legem aut pactum ullum (a), Damus ingeniosam hanc esse opinionem, quae tamen ad vivum reflecta videtur veritati minus conveniens. Dum enim obligationis origo ex statu personæ, quæ obligatur, repetitur, quisque animadvertisit, ita supponi, obligantem & obligatum disparis esse conditionis, & illum quidem hoc præstantiorem, alioquin enī vix posset concipi, quid disparis status consideratio ad rhombum in prælenii faceret negotio; quare sententia modo allata de obligationis origine parum differit ab ea, quam in S. S. antecedentibus impugnavimus. Sed expendamus exempla, in probationis vicem adducta. Quilibet igitur facile agnoscit, se, ut creaturam, Deo Creatori esse obstrictissimum, attamen non propter infinitam conditionis disparitatem, aut propter solam creationem seu existentiam sibi concessam; sed potius propter suam a Deo dependentiam, qua innuimus agnitionem summorum beneficiorum ab optimo Numinе nobis concessionum; qua cogitationum serfe, ceu ope fili Ariadnæ ad fontem obligationis, a nobis supra indicatum, pervenimus. Quod vero subditus sit obligatus, mandatis Principis sui modum gerere, hoc non quidem ex sola conditionis disparitate, inter utrumque intercedente, sed ex pacto civitatis fundamentali erit repetendum; quo tamen quum anterior sit obligatio, in statu videlicet naturali obvia, patet, originem obligationis generatim spectatae, ex statu personæ, quæ obligatur, in allato casu minus recte deduci. Quid? Quod rupto hoc qua demum cunque ex causa pacto, obligatio subditū cesset, manente tamen statu seu conditionis disparitate, manifesto, ut opinamur, argumento, alteram alteri non esse necessario innexam. Insuper Philosophi pluribus ostenderunt rationib[us], fun-

\*) 15 (

dameritum obligationis liberorum erga parentes, non ~~ex~~ generatione, sed ex consensu illorum præsumto in horum auctoritatem, ut suæ felicitatis medium, esse repetendum. Denique quum in confessio sit, quod quis non solum semetipsum alteri, sed sibi ipsi etiam possit obligare, sponte sua sequitur, originem obligationis generationis spectatæ, ex statu vel conditione personæ, quæ obligatur, recte non derivari.

---

(a) Vid. JOH. FR. W. NEUMANNI *Commentat. de Passis & Contractibus Principum* §. VII. p. 10.

## S. X.

Multorum quoque est persuasio, consilium non obligare eum, cui tale datur, eoque nomine consilium differre a lege, quæ perfectam habet obligandi vim. Sed hi fere sunt, qui gentinam obligationis indolem non satis perspicerint. Quamvis enim consilium & Lex diversam inferant necessitatem moralem, non tamen propter ea erit existimandum, illud plane non esse obligatorium; quum interne obligemur ad sequendum consilium nobis datum, si intelligamus, illud felicitati nostræ vel conservandæ vel promovendæ esse idoneum; quæ tamen *obligatio*, validissimis licet nixa motivis, est & manet *imperfecta*, siquidem illa vim tantummodo suadendi habent; proindeque nemini in foro soli tenemur, ad rationem reddendam, sive consilium sequimur a persona nobis bene cupiente datum, sive aliter agimus. Longe alia vero est legis ratio, cuius præceptum sequi tenemur

ex obligatione tam interna, quam præcipue externa, unde *obligatio* existit *perfecta*, adeo ut de *injuria* sibi illata conqueri non possit transgressor, si *Magistratus* in eum statuat poenas, quas sua vel animi levitate vel temeritate ac malitia promeruit.

S. D. G.

